



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Regula XXI. Quod semel placuit, amplius displicere non potest.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

REGULA XXI.

Quod semel placuit, amplius displicere non potest.

Hæc Regula mutationem voluntatis detestatur. Eruta videtur ex cap. Nulli 8, de elec. lib. 6, ex cap. Per tuas 10, Ext. de probat. a. Inique locis. Præcipuus ejus usus est in contractibus & cæteris conventionibus, l. Sicut 3, C. de oblig. & act. l. 1, d. de pact. cap. 1, cap. 3, Ext. de probat. Quid enim tam congruum humanæ fidei, quam ea servare, quæ inter eos placuerit? d. l. 1, in princ. Et g. ave. e. fidem fallere, inquit Ulpianus in l. Nemo potest, in princ. d. de const. pecun. Huc spectat juris Reg. Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum, cap. Mutare in f. eod. l. Mutare v. eod. tit.

Variè autem attemperatur hæc regula: In primis locum non habet, ubi utriusque partis consensu à placito discessum est, l. Nihil tam naturæ d. hoc tit. § fin. Inst. Quibus modis toll. oblig. cap. 2, Ext. de sponsal. Excepto matrimonio, quod semel contractum, mutuo consensu conjugum non dissolvitur, cap. 1, c. 4, de conv. conjug. cum similib. Deinde cessat in contractibus innominatis, in quibus ante impletionem penitentia etiam unius admittitur, per text. in l. Si pecuniam 5, d. de condic. causa data. eod. quod horum usus in commerciis hominum non tam frequens & necessarius sit, quam contractuum nominatorum, in quibus penitentia alterius locus non est, d. l. Sicut l. Rati 7, C. de rescind. vend. præter depositum, l. 1, § est autem d. de pos. mandatum, § mandatum Inst. de

mandato, societatem, § manet Inst. de societ. in quibus, licet contractus nominati sint, tamen penitentia admittitur, re adhuc integrâ, id est, antequam alterius interesse cõperit, jam dd. jurib. Tertio, locum non habet in sponsalibus, ubi in dissentiente causa subest, aut nolit omnino consentire in matrimonium, cum coactæ nuptiæ soleant habere difficiles exitus, vide Summam Tit. de sponsal. Quarto, neque in ultimis voluntatibus, quia hæc ambulatoriæ sunt ad vitæ supremum exitum, l. 4, in fine d. de adm. & transfer. leg. l. Ceterum hic 32, §. ait oratio d. de donat. inter vir. & uxor. ad eod. quod testator sibi legem injicere non possit, ne à priorè voluntate sibi recedere non liceat, l. Si quis 22, in princ. d. de leg. 3, Illud singulari jure receptum est in suo hærede, ut is reculationem hæreditatis paternæ revocare possit intra triennium; dummodò res hæreditariæ alienatæ non fuerint, l. fin. C. de repud. vel absin. hæred. idque propter reliquias illius juris, quo statim à morte ipsius patris defuncti hæres fuerat, §. sui Inst. de hæred. qual. & differ. l. in suis d. de lib. & posth. item in Judice, qui & sententiam suam interlocutoriam revocare potest, l. Quod iussit 14, d. de re judic. cap. Cum cessante 60, Ext. de appellat. cum per interlocutionem suam non desinat esse Judex in eodem negotio.

REGULA XXII.

Non debet aliquis alterius odio prægravari.

Exempla hujus Regule require ex cap. unico de in. iuris lib. 6, in c. Nobis 27, in c. Sicut 33, de simonia, in c. Si compromissarius 37, §. porro de elec. lib. 6. Hujus regule a quitate nititur tit. C. Ne uxor pro marito, cum sit seq. & ille juris regula: Delictum persona non debet in detrimentum Ecclesie redundare, c. Delictum in f. eod. Hinc in feudo Ecclesiastico receptum est, ne propter culpam Prælati vasalli feudum committatur, nisi quoad vitam ipsius Prælati, postea enim successori ejus feudum restituendum est, c. 1, in fine de capit. Corradis 2, Feud. Facit pro hac Regula textus elegans in l.

Sancimus 22, C. de penis, in l. Crimen 26, d. eod. tit. d. penis. Quæ enim justitia est, quod innocentiæ præsidium, si alius ex facto alterius conveniat vel puniatur? Existunt tamen casus, quibus ob causam ab hac Regula receditur; veluti in crimine læsæ majestatis, tam humanæ, l. Quisquis 3, C. Ad leg. Jul. majest. quàm diviniæ, in qua & filii, etiam innocentes, propter delictum patris puniuntur, Auth. Gazaros C. de heret. cap. Vergentis 10, Ext. de heret. c. Statusum 15, de heret. lib. 6, Item propter incontinentiæ vitium parentum accentur filii ab ordinibus Ecclesiasticis, tit. Ext. & in 6, de filiis

Aaaa 3

pres.